



## **Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas**

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]  
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum  
tractatione.

Jn Omnes Totivs Anni Dominicas Æstivas, à Festo Pentecostes vsque ad  
Aduentum

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Dominica XIX. Post Pentecosten.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56306)

DOMINICA XIX. POST  
PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. *Qua vis & techna sit mundi.*
- II. *Quodnam sit regnum caelorum.*
- III. *Quis Rex & qualis.*
- IV. *Qua nuptia, & qui serui.*
- V. *Qua sub inuitatorum negligentia latent.*
- VI. *Quod mundi, & diuitiarum sit ingenium.*
- VII. *Quod efficax sit medium conuocandi nuptiales.*

*Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos. Matth. 22.*

## FIGURA.

Esther 1.

**P**OTENS ille Persarum rex Assuerus solenne olim regni sui sarrapis & prouinciarum praefectis conuiuium, ad potentiam maiestatemque suam demonstrandam parauit; quod cum iam aliquot diebus durasset, contigit a rege insigni quadam humanitatis nota Vasthi reginam & uxorem, quae aliud puellis suis & reginis epulum singillatim parauerat missis nuntiis inuitari: nolebat enim Assuerus eximiam illius pulchritudinem omnibus parere. At tanta illius fuit imprudentia & temeritas, ut Regis liberalitate & humanitate despecta, ad conuiuium, in quo omnes regni Principes & purpurati & regni sarrapae iucunde epulabantur venire noluerit quamobrem non mediocriter indignatus Assuerus, habito consilio, quamprimum coronam insolentis capite Vasthi deponi, purpuram exui iussit, & superba & arroganti repudiata, obsequentiorem aliam in locum illius substituit. Estherem scilicet, quae ad dignitatem, qua Vasthi exciderat mox euecta fuit. Idem omnino hodie in parabola quadam Euangelica legere est, in qua dicitur ho-

mo, quidam rex filio nuptias parasse, & plurimos ad easdem inuitasse; cum vero inuitati venire detrectassent, seruos per viarum compita emisisse, qui alios intrare, & in illorum qui indignos se praebuerant, locum succedere compellerent. Vtrobique rex est, utrobique epulum, utrobique mysteria quae vobis fideliter exponere decreui, modo Spiritui S. opem suggerere, & caeli ac terrae Reginae precibus suis adesse visum fuerit. Aliis ideo cum Gabriele Archangelo eam salutemus.

## A VE MARIA.

Non immerito iuxta omnium SS. Patrum sententiam, mundus omnium inimicorum hominis primus ac maximus est appellatus; ut quo nullus aut sauior aut crudelior. Quicumque enim techas, dolos, versutias, nequitiam & impias machinationes, quas mortalis hic inimicus quotidie aduersus salutem illius machinatur, intreri voluerit, nullum profecto eodem aut inhumaniore aut atrociorum fuisse, aut futurum aliquando competeret. Ab ipsis enim incunabulis aduersus eum conspirat, vitam illius tendit insidias, & circa finem vitae eo angustiarum redigit, ut in animae salute amittenda verferet.

Quapropter non immerito cum natura Plinius de natura coequestus. iam olim Plinius expostulauit, cur se erga hominem ut nouercam, erga cetera animalia vero ut matrem gessisset: quia animalibus quamprimum atque in lucem eduntur, ungulas & arma confert quibus se defendant, & quotidie illisque liberalissime de victu prospicit; hominem vero nudum & inermem in terram induet necessariis omnibus destitutum, adeo ut in sudore vultus sui alimenta conquirere cogatur. Equidem potiori iure in mundum insurgam quod se in bestias ut patrem liberalissimum & clementissimum gerat, easdem velut clientes, quotidie nutrens, atque alimenta suppeditans; erga hominem vero ut tyrannum serui ac mancipii instar eundem flagellis subiticiens, ac iugo tyrannico premens.

In domo Epulonis ut refert Euangelista, bestiae & canes laute reficiebantur, at Lazarus, homo quauis esset & virtute praeditus,

Ri 2 fame



Mundus  
hominem  
præ cæte-  
ris odit.

Mundus  
hypocrita.  
Iob. 20.

Mundus  
est prodi-  
tor instar  
Iudæ.

Mundus  
Iahalem  
imitatur.

fame ad ostium emoriebatur, *Et nemo illi alabat.* In mundi domo idem omnino videre est: canibus & animalibus abunde suppetunt omnia, homini e contra defunt omnia, nemo illi dat quidquam; vestes si voluerit, emat necesse est; alimenta si desiderat, lucratur; Scientiam si optat, discat: at bestia & aues de messe, aratrove sollicita non sunt, tamen laute viuunt, & regum instar vestiuntur. Mundus cetera cum diligit ac foueat, nullum odit quam hominem; ipse scopus est, in quem vnum omnia nequitia tela dirigit, in omne virus effundat, si amare illum isterdum videatur, honoribus, cumulando fouere, delicias illi offerendo; amplecti, voluptates ac vitæ commoditates suggerendo; non est profecto fidendum, proditor est perditus, versutus, hypocrita, atque ita intelligere oportet verba illa Iob, *Gaudium hypocrita, id est, mundi ad instar puncti est,* quod nullam quantitatem, dimensionemque habet & nullo certo tempore præfinitur: Mundi igitur voluptates nihil sunt, imo ipse inuidus quidam hypocrita est; videntur siquidem exterius gaudia & delicia, sed mera sunt hypocritæ & vanities.

Perfidus ille Iudas Iscariotes filium Dei exoscularus est, amicitia symbolum ei præbuit, amicum se fingens & beneuolum, at hostibus simul eum prodidit, & cruci, & morti acerbissima tradidit. Mundus item perfidus quidam Iudas est, qui osculando, adulando, delicias aliquas & voluptatulas inanes homini offerendo, & amicum se illius integerrimum simulando ad mortem trahit, ad inferos detrudit, & sempiternam damnationem capiti illius arcessit. In quo etiam Monarcham illum Assyrium imitatur, qui Amanum purpuratum e conuiuio Reginae Estheris ad laqueum rapi iussit. Mundus igitur mera perfidia est & proditio.

Label vxor Haber Cinzi, Sifaram ducem Iabini Cananæorum regis domum suam euocans, & amicitiam simulans, tegumenta illi dedit quibus se cooperiret, & lac in potum, sed illicitis muliebribus vitam perdidit inglorius. Ita quippe de eadem scriptum est, *Qua aperuit utrem lactis & dedit ei bi-*

*bere, & operuit illum.* Mellita & fallacia illicia, sed eoque perfidia? *Tulit itaq, label vxor Haber clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondit, & cum silentio posuit supra tempus capitis eius clauum percussurum, malleo defixit in cerebrum vsq, ad terram.* Idem omnino facit mundus erga hominem, illum quippe in domum suam admittens, omnemque illi fidelitatem & affectum spondens, egregius eum vestibus cooperiens, lac voluptatum & deliciarum ei propinat, sed perfidiam regens, salutem & animam illius in extremum discrimen vocat.

Quod filia Loth patri, idem facit & mundus hominibus, hæc quippe patrem viro obrutum ad incestum coegerunt, dixitque *major ad minorem, &c. Veni inebriatus eum vino, dormiamusque cum eo.* Imitatur hoc mundus: omni namque vitæ vespera homines iucundissimo voluptatis vino inebrians, & fucatis, falsisque deliciis demeratos, in laqueos ad peccatum pertrahit, & in omne delictorum genus præcipites agit. Cum leonem, quem Samson in agris Philisthim extensum in via reperit, examina apum ore & leoninam rabiem pelle præferente, accuratius intueor, veram mundi imaginem & hieroglyphicum videre videor, qui quidem mel, dulcedinem, voluptatem, blanditias & verba suauia ore præfert, sed viscera habet leonina, crudelitatem, proditionem & nequitiam spirantia. *Qui loquitur pacem cum proximo suo, mala autem in corde eius.* Est enim fallax, dissimulatur, impostor, perfidus, qui hominem circumuenit, inani voluptatum imagine à Dei cultu retrahit & deliciis ementitis illaqueat. Angelicus Doctor Thomas in Ioannem commentatus ait, mundum technas easdem & astus in homine decipiendo adhibere, quos balena in piscibus captandis adhibere solet. Hæc igitur fame extimulante per mare natitans fauces laxat, & odorem quemdam suauissimum quem ambram cineream aromatopolæ appellant quæ ab imo ventre emanat, exhalat, omnes vt pisciculi eodem illecti, incauti, in fauces illius vltro innascent, & voluntario carceri se mancipantes morti se tra-



se tradant, periculi ignari in quod certissime se coniciunt. Technæ mundi profecto non minus metuendæ sunt, & famelicum illud monstrum, quod vnicam hominis mortem & interitum spirat, multo astutius: stratagemata namq; & astus quibus hominem inuoluit ac decipit, sunt verba suauia ac meliora ore emissa, quibus hominem attrahit, & voluptates quibus eundem illaqueat & infestat: quas cum odorati fuerint homines, mox, quæ eorum vesania & amentia est, in illarum se laqueo magno salutis ac vitæ discrimine, vltro induunt.

10. 2.

Mundana-  
rum cæci-  
tas.

Magna profecto mundanorum cæcitas est, & nimius & inordinatus erga terreneas voluptates affectus. Quorum rabiem propheta Ieremias Onagro comparauit: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio anime sue astraxit ventum amoris sui, nullus auerter eum.* Tanta quippe onagri catulientis rabies & œstrum est, itaque furit & efferscit, vt si in femellam incidere non contingat, per montes, valles, prærupta loca, spineta, & dumeta discurret & euagetur, imo nec laqueos, casses, venatores, venabula perhorrescat, aut metuat, donec inueniat. Vera hæc cosmophili imago est, qui nihil etiam veretur aut formidat, itaque audita mundi voce & harmonia, rabit & insolescit nullum vt periculum subterfugiat, quin & animo voluptatulam quandam figens eandem consecratur, nec prius quiescit, quam eiusdem compos fiat, leges transgreditur, Dei mandata violat, imo nec inferos aut supplicia infernaliter perhorrescit. Ita scilicet mundus mortales dementat, & beatitudine spoliatur sempiterna.

Gen. 25.

Iacob prudens ille & cordatus, sed simplex & rectus, Esau fratrem supplantauit, & primogenituræ prærogatiuam illi abstulit, & paterna eum hæreditate, ob pulmentarium lentisulam, exclusit. Facit idem versurus ille impostor mundus, ob pulmentarium siquidem, exiguam inquam voluptatulam, inanes quasdam delicias imo nugas, iure illum, quod meritis Iesu Christi illi in æternam hæreditatem acquisitum est, priuat.

Egypti Tyrannus Pharaon Israelitas regni sui laboribus occupans & cepa & alio

eosdem pascens, à proposito in terra promissionis tendendi illos auertebar, atque omnem illos manna cœlestis gustum, spem dulcedinemq; amittere cogebat. Mundus veterator ille senex ac tyrannus eodem vtitur astu; hominem quippe voluptatum similis. mensa reficiens, omnem ei gustum & memoriam deliciarum vitæ cœlestis aufert, eumque negotiis & curis mundanis occupans impedit, quo minus ad cœlestem ac sempiternam felicitatem adspiret. Cuius rei periculum hodierno in Euangelio legere est, in quo sub parabola cuiusdam inuolucris, rex quidam nuptias fecisse filio suo legitur, & multos ad easdem inuitasse, inuitatos autem, his scilicet in villam abeuntibus, illis autem aliis negotiis occupatis, venire noluisse. Ecce mundi astum, ecce beatitudinis perpetuæ amissionem. Historiam refert Matthæus: *Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos.* Vobis pro rei dignitate aliquid super hoc themate prolaturus, prius mo de nuptiis & rege qui easdem parauit, ac deinde de impudenti venire nolentium excusatione loquar: atque hinc videre poteritis, quam infidus, astutus, peruersus sit mundus, quantaque hominis cæcitas.

Omnia parabola huius membra circumstantiaq; examinans, inuenio per regnum parabola cœlorum, de quo hic sermo, Ecclesiâ denotari, per regem Deum patrem, per sp̄solum, filium illius vnigenitum, per sponsam vero, sacrâ, illius humanitatem, Spiritum sanctum vero cōiugium & connubium connectere, vt pote qui verbum diuinum naturæ humanæ in vna hypostasi tam arcte copulauit, vt è duabus illis naturis non nisi vnica persona coaluerit. Nuntii vero & serui qui homines ad nuptias inuitant, ipsi fuere Prophetæ, Apostoli, atq; omnes verbi Dei præcones & conuocatores: Prophetæ siquidem inuitarunt Iudæos, Apostoli autem ceteras orbis nationes; porro in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum. Ad has autem nuptias inuitari aliud non est, quam ad communionem participationemq; omnium bonorum, quæ Dei filius in mundum attulit, vocari. Ecce & alium sensum.

Rr 3 Hinc



Alius pa-  
rabolæ  
sensus.

Hinc quoque & alius mysticus sensus elici potest Iudæos scilicet avaritiæ deditos, & voluptatibus terrenis affixos, quod ad Christi fidem venire noluerint, ad quam tamen prophetarum oraculis, & viva Christi voce inuitati erant, sed prophetas ipsos pessime acceperint, Ieremiam lapidibus obruerunt, Isaiam serra secuerunt medium, Iesum Christum denique cruci affixerunt, derelictos; & Deum seruos suos, id est, Apostolos, in exitus viarum gentilium qui non in via salutis, sed in exitu viarum & extra vias errant, errantes in superstitionibus suis & idololatria, destinasse, iussisse autem ut ad Ecclesiæ nuptias inducant bonos & malos (hos siquidem tolerat, sperans illos tandem ad bonam frugem redituros.) multos quoque hac inuitatione audita ad nuptias venisse, vti ex Actibus Apostolorum & historiis Ecclesiasticis videre est. Et quemadmodum grauius animaduertit in eos qui ad fidem & Ecclesiæ nuptias venire detrectarunt, ita & alios acerbissime punire, qui sine vilo respectu & impudenter, sine veste nuptiali, se ingerunt. Illos vero ad has nuptias admitti non mereri, qui non nisi vnicam fidem habent, at solos veste charitatis indutos: qui vero solam & nudam fidem attulerint, manibus & pedibus ligatis in tenebras exterioris contici. Atque hic geminus parabole nostræ sensus est.

II.  
Ecclesiæ  
cur dicta  
regnum  
cælorum.

*Simile est regnum cælorum homini regi.* Per regnum hoc cælorum, vti iam dixi, & iterum repeto, Ecclesiam inteligo, quæ ideo regnum dicitur cælorum, quod qui eidem præsidet & eam dirigit, diuinus quidam rex sit & princeps vere cælestis Regnum adhuc magnificum est, quodque ceteris regnis antecedit. Primo quod iuste fundatum sit & in illo in quo insignis eluceat æquitas, & omnis exulet tyrannus: nam propter diuinitatem, idque respectu vniuersionis hypostaticæ & redemptionis generis humani, Christus hoc sibi regnum comparauit, & merito Ecclesiæ caput & princeps est constitutus. Vnde prædixit oraculum propheticum, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.*

Ecclesiæ

Secundo cetera regna antiquitate supe-

rat, nullumque in mundo existit quod Ecclesiæ regnum sacro sit regno antiquius. Alexander Grecorum monarchiam inchoauit, Cyrus Medorum, Xerxes Persarum, Romulus Romanorum, Ninus Assyriorum, Saul Iudæorum, sed cum ipso mundo cœpit Ecclesiæ Monarchia, & eiusdem cum illo est ætatis, ducit quippe originem suam iam inde ab Abel, qui in ipso mundi vixit exordio.

Tertio præcellit ceteris imperiis nobilitate, magnitudine & magnificentia, omnis namque prouinciæ aut regni alicuius nobilitas & maiestas in multitudine dominiorum & prouinciarum numero sita est: vnde præcæmiafles, *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* Atque ideo magni sit Assuerus rex qui regnavit ab India vsque ad Aethiopiā super centum viginti septem prouincias. Atque Ecclesiæ nullis limitibus circumscriptur, vtrumque polum in terminum habet, & quatuor mundi climata illius fines sunt. Vnde Platō: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terrarum.* Et Euangelistes, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creatura.* Et pater æternus, *dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.* Et Christus, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

Quarto Ecclesiæ regnum terrena præcellit bonorum diuitiarumque abundantia, nihil siquidem hic deest, & nihil ab aliis Monarchiis mutatur, quod euidentis magnitudinis illius & potentie argumentum est: corpus enim & sanguinem Christi continet, escam illam regiam ac lautam, gustu suo delicias regibus & Angelis voluptates afferentem. Reperiuntur adhuc hocce in regno reliqua sex sacramenta, quæ magnam recipientibus gratiam conferunt. Ipsum scilicet regnum Chanaan est, vera terra promissionis, ager fertilitatis, in qua petra Petri & montes Caluarie cælestis gratiæ mel & iucundum diuinæ misericordie lac emittunt. Ipsa est hortus sponsæ in quo nunquam fructus veteres deficiunt, & noui semper succrescunt, (*In horto meo pomana & vetera.*) Ipsa est tabernaculum Moysis in quo



in quo mensa recentibus panibus semper instructa est, donis, inquam, benedictionibus & gratiis referta.

Regnum caeleste ceteris robore praestat. Psal. 128.

Quinto praeter reliquis omnibus laudari meretur quod forte sit infractum, & inexpugnabile: & cum nulli subditum sit, cetera omnia subiecta habet, nulli subest, at omnibus praestit hinc rupi in aedificatum dicitur, quod nullae mundi procellae & tempestates ipsum concutere, labefactare, nedum euertere queant: Et super hanc petram ad se ab ecclesiam meam, & porta inferi non praualebunt aduersus eam. Multi quidem regnum hoc inuadere conati sunt, sed illud non cedit, nec expugnabile est vnde ipsum praesagians vates dicebat: Sape expugnaverunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, saepe expugnaverunt me, etenim non potuerunt mihi. Ideo nunquam deiici & destrui potuit, ceteras tamen Monarchias euerit & pessundedit.

Dan. 2. Cuius rei figuram in palatio Regis Babylo-nici videmus: qui somnians lapillum monte vidit descendente qui postquam pedibus statuae ex auro, argento, aere, ferro aliisque compositae allapsus, eandem deiectam in cineres redegisset, adeo mox exereuit vt totus eum orbis vix capere potuerit. Quae omnia significabant, regnum Ecclesiae in petra quae ortum & initium è caelo ducit fundatam, aliquando potentes mundi monarchias euerfurum, atque ita agendum, totum vt orbem nominis sui Maiestate & gloria ac magnitudine repleturum sit.

Caeleste Sexto Imperium Ecclesiae ceteris maius regnum le- ac diuinius est, quod politica instituta, legibus & i- ges aequitate conditas, edicta prudenter editis cetera contineat. Habet siquidem leges sanctas & excellentes, quaeque civibus non modo pacem temporalem more humanarum ac civilium, adferunt, sed vita etiam perpetuae participes faciunt. mandant enim diligi Deum super omnia, proximum sicut nos ipsos. Porro David leges has sanctas & immaculatas & animabus conuertendis idoneas appellauit: *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Leges etiam aequissimas, quae virtutem propugnant, & vitia e contra oppugnant: leges denique diuinas & caelestes, non quales Dracon Athenicis tulit, quae

teste Cicerone, sanguine erant exaratae, sed amorem, benignitatem, ac misericordiam spirantes.

Septimo regnum hoc ceteris praestat, Superat quod durable sit ac perpetuum: aternitas etiam equippe illius terminus est; & saecula limites, ternitate. est enim illud de quo vaticinatus olim est Dan. 7. Daniel, *potestas eius potestas aterna, quae non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Et Psalmographus, *Regnum tuum regnum aeternum, regnum omnium saeculorum.* Angelus quoque Virgini loquens ait: Et re- Luc. 1. *qui eius non erit finis.* Et quamuis tempus reliqua regna destruxerit, & sceptris, coronas, diademata rubigine exederit & pessum dederit: nullum tamen hoc vnquam finem habebit, & quamdiu mundi haec machina subsistet, durabit, nec vnquam simile vel par ei exister.

Denique inter reliqua eminet, ob regis III. sui, qui Christus est, Dei filius vnigenitus, Excellit patri consubstantialis, sapientia, virtus, & etiam ob fortitudo Dei omnipotentis, sapientiam, regis nobis scientiam, dignitatem, dotes ac merita. Placitatem ac to beatas resp. tum fore dicebat, quando sapientiam. aut reges philosopharentur, aut philosophi eadem gubernarent. Beatum igitur ac vere beatum Ecclesiae regnum, cuius rex philosophorum rex est hominum simul & Angelo- rum doctor, & in omni scientiarum genere versatissimus de quo Apoll. ait: *In quo om- Col. 2. nes thesauri sapientiae & scientiae Dei absconditi.*

Christus igitur regni huius rex est, atque hoc & prophetarum oracula, & veteres figurae denotarunt, quin vt regem caelum & terra illum adorant. Quamuis enim ante mysterium incarnationis Dei vnigenitus non minus rex esset quam Pater, tamen postquam homo factus in hunc mundum venit, singulari quadam ratione hanc sibi dignitatem & donum promeruit, & imprimis vt totius Ecclesiae rex diceretur. Quod liquido testatur Apostolus; *Eum, inquit, qui modico quam Angeli propter passionem mortis minoratus est, videns Iesum gloria & honore coronatum.* Quibus verbis ad Psalmistam alludit: *Quid est homo, quod memor es eius?*

Christus verus Ecclesiae rex.

Heb. 2.



Psal. 8.

es eius? &c. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum. Idem quoque Apostolus ad Philippenses ait, *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, nomen inquam regium.*

Phil. 2.

Atque idcirco Gregor. Naz. anz. Episcopus regem gloriæ Christum appellat, atque in suum sensum exponit verba illa Psalmi: *At tollite portas principes vestras, & eleuamini porta aternales, & introibit rex gloria.* Quin & Ioannes in Apocal. videt eum diadematis variis redimitum dicens, *Oculi eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, & vocabatur nomen eius Verbum Dei.* Variorum diadematum meminit, quod regia Christi corona & humana simul & diuina esset, & in varia regna ac prouincias Dominiuum haberet, erat siquidem rex cœli, terræque Iudæorum, Gentium, & imprimis Ecclesiæ. Ideo quoque in eadem Apocal. Angelus ille, qui magni consilii Angelum, id est, Iesum Christum, representabat, itidem leuco diadematis in capite habuisse scribitur. nam iris, vt Poetæ docent, & ipsa demonstrat experientia:

*Nulle habuit varios aduerso sole colores.*

Hoc porro hieroglyphicum denotabat, Christum Angelorum regem, varia sub se complecti regna, vt iris qua coronatus erat, colores continet varios, certum igitur & indubitatum est, illum regni cœlorum, de quo præfens Euangelium, regem esse. *Simile est homini regi.* Bene autem & ad rem dicitur hic *homini regi*, tum quod prius hominem esse oporteat, quam regem, tum etiam, quod reges dum dignitatem suam inueniunt, & splendorem regium respiciunt, homines se esse obliuiscantur. Cherubinus ille, qui leonis faciem habebat, humanam quoque præferbat. Ita quoque princeps qui inter homines est quod leo inter animalia, dum leonino more regnat, regnet simul vt homo, & se hominem esse agnoscat. Quando autem hanc rex mentem induerit, & esse se hominem agnouerit, tum demum regnum cœlestis est.

Solebant veteres regibus suis assidue inculcare, & vt se homines esse meminissent semper suggerere, ne forsitan altum saperent,

& insolescerent. Quin & Tertullianus & Hieronymus tradunt, Romanos triumphali curru urbem inuectos, quendam habere solitos, qui alta illis voce, inter ceteros ouationum applausus inlamarer: *Memento te esse hominem.*

Quin & Philippus Macedo, vt tradit Plutarchus, quotidie mane à quodam hisce comitoriiis verbis salutabatur: *Rex memento te esse hominem*, quasi diceret, Regem te dii constituerunt, & natura hominem, noli in regnando ita regem agere, vt hominem exuas: nam regnum humanitate destitutum mera tyrannus est.

Hinc plurimi reges quoniam se homines esse ignorabant, brutorum instar regnarunt, prouincias euerterunt, subditos afflixerunt, & regnum amiserunt. Idcirco forsitan Nabuchodonosor in bestiam commutatus est, & à Deo audiuit: *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, Regnum tuum transibit à te. Et ab hominibus eicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes.* Hanc item ob causam Titus & Vespasianus Imp. Romani apri & feri depalcenses à Psalmographi oraculo vocitari sunt. *Exterminauit eam, id est Ierusalem, aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.* Titus scilicet & Vespasianus, qui eandem exciderunt & euerterunt.

Iterum repeto, & dico, imperiorum ruinam, rerum publicarum calamitatem, regnorum interitum, nationum euerfionem, subditorum grandinem & pestem dominiorum esse, principes & reges dum humanitatem exuunt, crudelitatem induunt, & instar tigridis sæuissime, non vero hominis, regnant: cuius rei egregiam in libris Iudicum legimus historiam. Arbores olim regem dum eligerent, qui ceteris imperaret ac tueretur, rhamnum sentibus horridam ceteris præposuere: sed insciæ perniciem sibi & ruinam arcessuerunt, hanc quippe ubi corripuisset ignis, omnes simul exultæ sunt. Parabola hæc per Iotham proposita significabat, Sichimitas qui Abimelechum in regem elegerant crudelem & sanguinis sitiētissimū sibi ipsius perniciē attulisse, sed eadē simul

Ezech. 1.  
Memine-  
rit rex se  
hominem  
esse.

Regnorū  
euerfio, re-  
gum est  
crudelitas.



mul opera denotabat, tunc populos & subditos discrimen adire præsentissimum, & ruinæ expositos esse, quando Princeps spinosus, horridus, rigidus, crudelis ac morosus regni gubernacula tenet. Regnum scilicet duo habet brachia, vnum iustitiæ; misericordiæ alterum, id est dextrum. Igitur rex simul sit, simul & homo: *Simile est regnum caelorum homini regi.*

Quid autem hic ait rex? *fecit nuptias filio suo*, factæ sunt hæc nuptiæ in mysterio incarnationis, in qua pater æternus humanitati nostræ filium suum vnigenitum copulauit, & ob connubium hoc regnum illi dedit, & Ecclesiæ diadema illi imposuit. Gloriatur hoc nomine sponsa, & ait in Canticis. *Egre dimisi filia Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater in die dispensationis illius.* quem locum omnes propemodum patres de hisce nuptiis intelligunt, vt Gregor. in Comment. Bernard. term. 2. de Epiphani. Hugo de S. Victor. lib. Sententiarum sent. 69. tit. de duplici gloria Salomonis. S. item Ambr. lib. de insti. Virginis dicens: *Beatus est Maria uterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit, coronauit eum quando generauit.*

Multo autem clarius August. Idem ipse vnus Christus qui processit ex utero virginali tanquam sponsus de thalamo suo, in quo utero spirituales nuptiæ celebratae sunt: *Deus coniunctus est carni, & caro adhaesit Deo, vt esset vnus Christus & totus homo.* Greg. idem omnino, sed verbis relatu dignissimis: *Tunc Deus pater, inquit, Deo filio suo fecit nuptias, quando hunc in utero virginis humana natura coniunxit, quando Deum ante saecula fieri voluit hominem in fine saeculorum.* De hisce nuptiis Propheta regius iam olim locutus est, dicens: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo. O nuptias felices! ô thalamum vereregium!*

*Fecit nuptias filio suo.* Porro de hisce nuptiis loquens S. Hieron. ait, tertio Deum synagogæ desponsatum esse eamque sibi in coniugem adaptasse, primo in circumcisione, deinde in promulgatione legis in monte Sinai, tertio denique in mysterio incarnationis, quando Verbum caro factum est & Dei filius hominem induit. Porro harum

Tom. 2. Pars Æstina.

nuptiarum figuræ erant connubium Moysi cum Æthiopiis, Samsonis cum Philisthæa, in Epist. ad Corinib. Assueri cum Esthere captiua.

*Qui fecit nuptias filio suo.* Ad hæc autem nuptias vniversi orbis mortales inuitati fuerunt, serui per omnes terrarum angulos destinati, denuntiationes vbiuis locorum audita. *Et misit seruos vocare inuitatos ad nuptias.* Apoc. 19. vnde in huius rei signum in Apocal. scriptum est: *Et audiui vocem quasi tubæ magna, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo, quia uenerunt nuptiæ agni.* Prima vox tubæ similis, fuit vox patris æterni, dum dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Secunda tonitruum vox fuit annuntiatorio omnium Prophetarum, de qua in Actis legimus: *Hic omnes peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Vltima vero similis fuit voci tonitruorum, vox inquam sanctorum Apostolorum, quæ per totum orbem inualuit scriptum namque est in Actis: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Iesu Christi Domini nostri.* Quibus omnibus vocibus ad nuptias inuitati sumus.

Vocibus, inquam, clamantium, magneque boatu dicentium, omnia parata esse, atque ideo properandum: non nisi conuiuas expectari & requiri. *Omnia parata sunt.* Porro nuptiarum harum apparatus ipsa fuit mors & passio Christi, & sacramentorum virtus, quæ in iisdem fuit instituta. Atque ideo primi nuntii, id est, prophetæ, non dixerunt: *Tauri & altilia occisa sunt, & omnia parata;* sed Hebræos prophetiis duntaxat ad nuptias inuitarunt. At secundis, id est, Apostolis, non modo iniunctum fuit, ad nuptias inuitare, sed inuitatis etiam dicere, omnia parata esse, Messiam scilicet quem expectarunt, iam aduenisse, crucifixum, mortuum, resuscitatum esse, omnia denique quæ ad hominum salutem necessaria videbantur, esse præparata, nihilque à parte redemptoris ad redemptionem deesse, atque ideo illos ad nuptias venire, id est, Christum agnoscere, fidem illius amplecti, eique obse-

Regnum  
duo habet  
brachia, iu-  
sticiam &  
miserico-  
rdiam.

IV.

Cant. 3.

Cap. 16.

Comment.  
in hunc lo-  
cum.

Psal. 18.

Tertio  
Deus sy-  
nagogæ  
desponsa-  
tus.



obsequium præstare debere, audite ut in clament, *Omnia parata sunt, venite.*

In aduentu Iesu Christi omnia parata fuere ad salutem nostram.

Diabolus quippe fugatus est, mors mortua, cælum referatum, infernus obferatus. Pater æternus, reconciliatus, redemptio iniuncta, peccatum dimissum, vitulus saginatus occisus, Christus Iesus cruci affixus, pænitentiæ gratiæ homo restitutus, pax reddita, omnia denique parata. Quanto De vs bono gaudio Sancti patres hæc excepissent, quantum lætitiâ his auditis percepissent! fuerunt quidem inuitati, at nondum omnia parata erant. Incarnatio Vnigeniti Dei nondum peracta, crux nondum compacta, nondum mons Caluarie supplicii designatus, nondum Pilatus funestam mortis sententiâ in Redemptorem tulerat. *Sed iuxta fidem de-*

Heb. 11.

*facti sunt omnes non acceptis repromissionibus.*

Luc. 10.

Hinc æui sui Iudæis dicebat Dominus *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*, quasi dixisset, Quam beatos se credidissent aui, & ab aui vestri, arque adeo omnes qui iam humi carcere detinentur, si vidissent ea quæ vos videtis, & omnia ad redemptionem peracta inuenissent, ut vos videtis. Displicite igitur vobiscum auditores, quanta sit harum nuptiarum dignitas, quantaque felicitas ad has inuitatum esse, & interea ad alterum conuentionis membrum descendam, & magnam illam venire detrectantium ingratiudinem exponam.

V.

*Illi autem neglexerunt.* Rex igitur hic postquam nuptias filio parasset, & quocumque locorum nuntios ad inuitandum destinasset, nemo comparere voluit, sed omnes ob negotia quædam, ut aiebant prægnantia, sese excusarunt, ô pudor, ô malum, ô ingens mentis cæcitas! quid? anne Principis preces contemni? homines Deum vocantem nolle sequi? Sponsa illa in Canticis dilecti sui verbis auscultare, eiusque amoribus reciproce amando respondere recusans, tandem ubi in vigiles ciuitatis incidit, eiusdem opem in clamauit, sed frustra: utque illa amantem neglexerat, ita tunc eius auxilium non meruit experiri. Audite ut queribunda de illo ex postulat, *Quæsiui & non inueni, & vocaui, & non respondisti mihi.* Quam igitur peri-

Gen. 5.

culosum est vocem & inspirationes diuinas surda aures præterire.

*Et neglexerunt & abierunt.* O mentis infantia, ô quanta mundi cæcitas, negligere cœlestia, & tanto erga terrestria amore affici? sed terrena potius contemnere oportuit, & ad cœlestia anhelare, hæc scilicet amari & desiderari merentur, reliqua ne optari quidem: & tunc quidquid in hoc inferiori orbe à fortuna dari solet, inconstans est & caducum, casibus obnoxium, instar vmbriæ fugacis præterit, & sapientis iudicio fumi in morem euanesceit. At qui illud ipsum pedibus proterit, heroicum se, generosum, strenuum, magnanimum ostendit, & virili quadam & mascula præditum constantiâ Quod & ipsi Ethnici non ignorarunt.

Refert Philippus Dicæ magni in Hispania nominis Ecclesiastes, Philippum Macedonem Philosophis iniunxisse aliquando insignem, ut quæstionem proponerent, eamque in vtramque partem disceptarent, & validis vtrinque rationibus & argumentis fortissimis defenderent. Regis igitur voluntati morem gesturi, hanc tandem proposuere; quid in rerum natura maximum foret. Hanc quidam è numerosatis, ut putabat, appositè dissoluturus aiebat, montem Olympum esse, qui cæteris montibus esset altior, & cacumen intra nubes conderet, adeo ut & a ventis & procellis sit immunis: alius esse dixit æquam: quæ ignem domaret, flammam extingueret, tamque ample pateret, ut terræ superficiem cooperiat. Addidit cæcitus, neutrum scopum veritatis attingisse, sed solem esse, qui terram simul & aquam magnitudinem superaret, & lumine suo vtrumque elementum illustraret. Quartus rem penitus rimatus, & ad veritatem quam proxime tendens, priorum sententiam explodens, ait esse cor hominis, quod magna contemnit & irrideat, atque hic meo quidæ calculo scopum attingit, & dignam philosopho sententiam protulit. Credebat namque res mundi huius adeo viles & exiguas, ut qui easdè pessundare & negligere nouerit, non mediocri gloriâ mereatur. At cheu! inuitati nostri contrarium pe-

Tem. 4.

Dem. 1.

post Philo.

Inf. alle.

nicius



nitus agunt, non nisi nugas & inanias mox euanescentes consecretantur, & negligunt cœlestia.

*Et neglexerunt.* ô vesania deploranda. ô recordia stolidissima! si ad laborem, sudorem inuitarentur, excusare se forsitan potuissent, sed ad nuptias regias vocatos sese excusare intolerabile, indignum, imo brutum est. Sathan ad laborem, euleum, crucem, ærumnas inuitat, quas superbi, antequam ad honores, diuitiasque pertingant, velint nolint, pati debent: omnes tamen eodem properant, & festinant, ne forte excludantur. Inuitat etiã ab altera parte mundus ad miseriarum iliadem, inquietudinum pelagus, quibus tamen libentissimè & vitro sese offerunt auari, in omnes traducentes noctes, maris pericula adeuntes, alienas regiones peragrantes, atque hæc omnia rosas & delicias credunt: Deus vero ad iucundas filii sui nuptias inuitat. & tanta interea mundanorum cœcitas est, vt tantum bonum negligant, & inania negotia tantæ beneuolentiæ amorique præponant.

Insignis  
allegoria.

Saul Israelitas auersurus, Dauidem ne in Regem eligerent, neue ad Sceptra sublimerent, hæc ait: *Audite me nunc, si iij lemimi, nunquid omnibus vestris dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos & centuriones, quia coniurastis omnes aduersum me?* quasi diceret, Cur in opis partes sequimini, qui vos lucupletare ac felicitare nequit? Quanto potiori iure de vobis conqueratur Deus, Deus inquam diuitiarum & omnis potentiæ, dicens, Cur partes foues diaboli, eiusque signa sequeris, qui præter tormenta tartarea nihil tibi dare potest? & deseris illum, qui æternis te cumulare diuitiis, & potentem te reddere potest? Sed frustra querimur, tanta siquidè hominis cœcitas ac stultitia est, proprium bonum vt negligat, & solam sui ipsius ruinam querat.

*Et neglexerunt.* O negligentiam culpandam! ô stoliditatem ritu dignam! Purpuratus ille Persa Aman felicem se credebat & mortalium omnium beatissimum, & sortem suam apud omnes deprædicabat, quod ipse solus cum rege ex vniuersa Ducum & Imperatorum multitudine, ad conuiuium

à Regina Esther vocatus esset. *Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.* Hi vero tantum sibi honorem exhibitum, quem ad nuptias filii sui inuitando Deus illis ostendit, negligunt. Quamprimum vt Assuerus, regium illud epulum in Susis instruxit, omnes ad illud præfecti, satrapæ, & prouinciarum gubernatores ab omnibus regni finibus aduolarunt; at hi nostri ad regis ac Dei sui nuptias inuitati, venire neglexerunt. Et cur? *abierunt alius in villam suam, sua vt negotia crequerentur.*

Non possum autem, quin insignem mundanorum demirer fatuitatem: quamuis enim mundani malis variis opprimantur, & grauissima in mundo supplicia sustineant, cum tamen semper exosculantur, & obsequium illi præstant fidelissimum. An non recordamini eius qui alias dixerat: *Iuga bouis emi quinque.* Mundus siquidem homines quinq; iugis adnectit, Christus autem non nisi vnicum habet, quod ipsum & suauè est. *Iugum meum suauè est, & onus meum leue:* omnes tamen mundum sequi malunt. Nolebant Hebræi, ad ollas carneas affuerti, Ægyptum relinquere, quo in terram promissionis concederent; & malebant Pharaoni, qui laboribus illos macerabat, obsequi, quã Mosis qui paterne eos habebat, imperio parere præferrebant scilicet capas, allia, porros barbarorum, mannæ & coturnicibus deserti Sinaitici.

In Zacharia legitur: *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphora, & dixit, hæc est impietas. Delinquere forsitan voluit, quam graue & ponderosum sit peccatum; & quot in anima peccata continentur tot quoque illam talenta & massas plumbi humeris sustinere. Vel potius ostendit, quanta sit mortalium in mundo viuentium onus & sarcina, qui instar baiulorum, ita sollicitudinibus, laboribus, molestiis, curis onerati sunt, sub onere vt fatiscant, & sæpenumero concidant: ita tamen homo diuturna peccandi mundoque obsequendi consuetudine obduruit, vt ipsum peccatorum pondus, & mundano*

Zach. 10.  
Negotia  
mundi  
grauia.



Isai. 24.

Mundanus terræ est habitator.

rum negotiorum grauitatem non sentiat, tamq; quiete agat quasi Deum offenderet, nullumque humeris pondus sustineret.

De mundanis ita locutus est Isaias: *Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terra.* In quibus verbis duo notanda sunt, primo peccatorem dici ciuem & habitatorem terræ: quod corpore, anima, affectu & toto corde in eadem inhabitet: quid enim cogitat, loquitur, agit, terrenum est & terram sapit: deinde sexcentis eum angi scrupulis, mille circumdari periculis, & insidiis variis impeti. Hinc quippe eum diuexat formido, illinc ambitio, hinc instat auaritia, illinc adurit luxuria, omnia denique vitia eum excruciant, vt taceam mille conscientia aculeos & remorsus, qui eum perpetuo exagitant, variasitem Satanae conspirationes & molimina, quæ assidue in caput illius cuduntur: atque hinc nulla ei vsquam affulget quies.

Psal. 35.

Huiusce rei mentionem faciens Psalmista ait: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Ceterum elati & alti cordis est, secularia & mundana contemnere, nec mundi hereditatem adire velle, nisi in quantum necessitas corporis exigit, hac spe scilicet accedente, nunquam nobis ad vitam necessaria defutura, quæ Deus de suo abunde suppeditabit: & quemadmodum qui de Deo diffidunt, eiusque prouidentia non nituntur eundem grauissime offendunt, & quodammodo negligunt, ita econtra qui in eundem spem suam coniciunt, & mundum pedibus proculcant, illum extollunt, illiusq; prouidentiam celebrant ac deprædicant; denique paucis vt complectar, docere propheta voluit, seruire Deo volupe esse ac iucundum, mundum vero sectari, teretricum ac difficile.

2. Paral. 36.

Mundani vinculis negotiorum illigati sunt

Infelix Rex Manasses magna olim corporis amaritudine dixit Deo: *Incuruatus sum multo vinculo ferrei, & non est respectus mihi, id est, miseris immerfus iaceo, & nemo auxiliatricem mihi porrigit manum, meique miseretur.* Quotnam hodie homines, qui instar remigum ad triremes relegatorum, ita negotiorum vinculis ac compedibus captiuati sunt, vt ne respirare quidem

possint, aut spiritum ducere, illud ipsum re- vt remi- petere possunt? Sed quotnam mentem & intel- ges in tri- lectum negotiorum pondere oppressum remibus, habentes, suo onere fatiscunt & cutuantur? Exod. 1.

Egypti tyrannus Pharaon videns Hebraeos in immensum excrecere, quotidie- que numerum eorum augeri, metuens ne forte seditionem aliquam ac tumultum improuisum concitarent, suis ait: *Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est, Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur.* Et ecce dictum factum: quamprimum enim constituit operum præfectos & exactores, qui eos assiduo labore excercerent, & opere absoluto mercedis loco fustigationes & flagella perfoluerent. Videbat siquidem illos in quiete & otio immensum augeri, cui vt obstaret, vrbibus exædificandis eosdem occupat. Huius rei occasione ait in hunc locum Origenes, diaboli stratagema penitus simile esse, atque eodem illum vti artificio: cernens namque Christianos quiete tranquillitate spiritus in virtutibus proficere, meritaque illorum in immensum augeri, mundana negotia suggerit quibus eosdem distinet, & instar anorum grauat, adeo vt non mediocre sibi detrimentum inferant: incitat ad hæc, vt villas coemant, domus ædificent, alijsq; inanibus & nugacibus negotiis se impleant, adeo vt mente animoq; perturbati nullum Deo obsequium præstare queant, eiusque penitus obliuiscantur. Videte igitur vt hos foras in agrum mittat vt villam coemptam visitent: *Et abierunt, alius in villam suam.* 3. Reg. 9.

Non vobis, o nimis importuna mundi negotia, natus est homo, sed solis rebus cœlestibus. Voluit olim Salomon rex ne quis de filiis Israel seruus esset aut alterius mancipium, sed illos nobiles creauit, duces constituit, & præfectos curules & equites. *De filiis autem Israel non constituit seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes & duces, & præfecti curruum & equorum.* Quibus verbis docemur, nolle Deum vt Christiani qui veri Israelitæ sunt, rebus vilibus, inanibus, terrestribus occupentur, sed ad superiora, cœlestiaq; contentant, non vult scilicet cor illorum seruire. & ple.



& plebeium esse, terram sapere, sed bonum suum & nobilitatem spectare, rebus cœlestibus intendens.

*Di. 22.* In Deuteronomio venit Deus ne quis inter vineas arbores alias plantaret, ne quod forte vitium gemmæ & palmites detrimentum acciperent, sed circumcirca, & haud procul inde. Allegorice hoc exponendo dicendum est, in cordis & animæ vinea solum Deum inuenire debere, cetera vero circumsecus & propter amorem Dei, quo scilicet amor ille fructus producat. Formosa illa Rebecca non procul à fontibus Mesopotamiæ inuenta, seruo Abraham eiusque camelis porum dedit, sed bestiis respectu heri. *Gen. 24.* Cumq; ille bibisset, adiecit quin & camelis iuis hauriã aquam, donec camelis bibant: Ita Deus perfecte, & proximus sicut nos ipsi diligendus, attamen creaturæ creatoris respectu, atque ita cor alio affectu trahi non debet quam diuino.

*1. Reg. 8.* In Arca fœderis non nisi tabulæ continebantur, quamuis Paulus epist. ad Hebræos, vnam manna plenam, & virgam Aaronis adiungat; at quoniam hæc omnia ad legem spectant, ideo addit glossa solas legis tabulas in eadem asseruatas, hic dici. Sic quæuis in cordis nostri arca aliqua mundana habeantur, ita tamen omnia ad Deum referri debent, vt vnica hic lex habitare videatur, id est, aliud cor nostrum non respiret, quam diuina, aliud vero non abhorreat, quam terrena. Amplectenda quies ac sancta solitudo, & animus ab omnibus mundi negotiis & curis auocandus, neue etiam fatui hi Euangelici imitandi, qui ad nuptias inuitati, alii villas adierant, alii vero ad negotiationem profecti sunt.

*VI.* Ecce hic amorem mundi, ecce auaritiam, ecce diuitiarum sicim, quibus nihil magis animam impedit, quo minus ad æternæ beatitudinis nuptias pertueniat. Formosa Rachel in terram Iacob mariti abitura, idola patris sui cum auferret, quamprimum eam pater infecurus est, & eadem importunis & infestis precibus & violenter quodammodo repetiit. Ceterum mundi idola ipsæ sunt diuitiæ; quicumq; igitur illas in domum sponsi æterni abeundo secum

ferre voluerit, à scelestissimo illo veteratore mundo exagitabitur. Quapropter bene consulit Propheta animæ pater, *Audi filia & vide inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Non ait, modo, obliuiscere idola, diuitias, honores, dignitates, sed domum etiam in qua eadem reperiuntur.

Quantas autem inquietudines, quot curas diuitiæ homini, qui easdem ambit, adferre solent? quot interius generant scrupulos. Pulcrum quidem Absalon caput erat, animam erines iostar auri splendebant, atque adeo omnes in admiratione trahebant, sed capitis grauedine assidue torquebatur, ideoque caesariem detondebat; *Semel autem in anno 2. Reg. 14. tondebatur, quia grauabat eum caesaries, vt sub onere curuatus incederet.* Quam pulchra & gratæ essent diuitiæ, si grauisimum capiti aut conscientiæ potius dolorem non causarentur? Atque hoc significare Redemptor voluit, cum Marthæ sollicitæ diceret: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Id est, curis variis distraheris, animus tuus turbatus est, nec quietem habere potest.

Huc spectabat etiam cordatus ille Dauid, cum Saulis esse generi detrectabat, & filia illius nuptias contemnebat; dicebat quippe nobilibus & vniuersis militia præfectis. *An parum vobis esse videtur esse generi regu?* quasi diceret: An non creditis dignitates & honores infinita secum onera trahere, & magnas sollicitudines, difficultates, molestias parere? Porro honorem sequuntur labores, & dignitates pœnar. Idem tibi repero, mundi & diuitiarum amator. *An parum tibi esse videtur esse diues mundi?* Quantas diuitiæ miserias & calamitates secum trahunt? quæ non tolerandæ ærumnæ antequam ad diuitias quis perueniat? Quot adeunda pericula, subeunda discrimina, vt opes coaceruentur, & status conferuentur? quot mala & labores exantlandi, antequam fortuna hæc stabiliatur? quot anxietates ferendæ antequam loca hæc & domus confirmetur? sunt proculdubio res mundi fercula quædam lauta sed pretii infiniti, & regio epulo, q̄ Absalom Amoni frat. 2. Reg. 17.



tri parauit, in quo miser ille à sicariis obtruncatus vitam perdidit similia. Inuitat quidem mundus ad honores, dignitates, diuitias, easque velut ferocula nobis subministrat, sed vitæ machinatur insidias, damnationem adferre conatur, salutem in discrimen adducit, & animam miserrime enecat. Si vero interdum ad honores uos sustollit, non honorare vult, sed eorum tandem rationem deposcere, & vltionem sumere.

2. Reg. 25.  
Saulis astus erga Dauid.

Eodem quippe actu quoque Saul olim erga Dauidem vsus est, dum Chiliarcham illum creauit. Hoc quippe illi munus dedit non vt honoraret, sed vt eo citius in cõsictibus in primo constitutus agmine interficeretur. *Amouit eum ergo Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros.* Allegorice dico, mundum ad regias dignitates & honores amplissimos non aliam ob causam nos euehere, quam vt nos euertat, & perniciem adferat, non vero vt ornet & condecorat. Imitatur adhæc Regem illum Iuda, qui Vriam cum literis ad Ioab ducem militiæ destinat, vt in primo illum agmine collocet, quo citius ab hostibus interimeretur. nam diuites ad primos honorum gradus & reipublicarum administrationes ac dignitates sustollit, vt eo citius perniciem incurrant, & pessum eant.

2. Reg. 11.

Iudic. 9.

Ambitiosa illa rhamnus, quamdiu serpsit & humilis fuit, tempore suo florebat, agros ornabat, atque aduersus prætereuntes sepimenti loco fuit, & paucis vt completar, insigni prosperitate gaudebat. At quamprimum ad regiam dignitatem euecta est, & in cæteras arbores imperium sibi arrogare cœpit, perniciem sibi ipsi intulit, nam ab igne correpta, tum se tum socias succendit. O mysterium & allegoriam! Quotnam, DEVS bone, reperire est, qui in humili sua conditione & rebus tenuibus, extrema & summa voluptate perfruuntur, quibus omnia prospere sedunt, ac sexcentis gaudiis potiuntur, sed quamprimum mundus illos ad dignitates sustollere, honoribus cumulare, regni que negotiis applicare incipit, sibiipsis ruinam, interitum, damnationemque sempiternam acquirant.

Primo Regum vltimo legimus, in constituto aduersus Philistæos omnem belli vim & pondus in Saulem versum esse, *Totum prælij pondus versum est in Saul.* Hinc eruo, tunc, cum mundus nefarius ille Philisthæus aliquos ad dignitates & omnia publica sustollit, in illos totam persecutionum suarum rabiem conuertere, vt eisdem penitus destruat, & misere tandem vitam amittere cogat. An non superba & alta palatia ventorum furere concutiuntur, feriuntque summos fulmina montes: ita quoque vt plurimum fieri videmus, vt in animis diuitum & magnarum mundi huius passiones animi & violenti imperus sollicitudinum inualefcant ac læuiant, eorumque conscientia acerrimis & grauissimis aculeis exagitantur & remorsu interno.

Mundus igitur similis est Heliodoro Regis Syriæ Antiochi, de quo in libris Machabæorum, qui cum specioso legationis titulo Ierosolymam missus, & sibi vt templum ingredi liceret, postulans, thesauro in templo deposito inhiabat; sed ita à duobus Equitibus percussus fuit, pene vt vitam amitteret: & quod mirandum magis, cum Heliodorus ad Regem in Syriam rediisset, plagarum memor regi ait: *Si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem, mitte illum, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit.* Spirituualiter hoc intelligens, dico regem tenebrarum Satanam ideam omnino facere solere cum hominibus: destinati enim vt mundi diuitias expilent, sæpissime cælitus puniuntur, & in peccatis moriuntur; quos vero mundus odio prosequitur, & de quibus vindictam sumere desiderat, eos vt plurimum ad thesauros indagandos & diuitias querendas destinat.

Filius Dei vnigenitus cum in deserto Pa-  
lestinae ieiunans commoraretur, accessit ad  
illum Satanas atque omnia mundi regni il-  
li ostendit, modo se deorsum præcipitaret.  
Nouus quoque Satanas mundus est, qui Dei  
filios in mundi huius deserto commoran-  
tes quotidie impugnat, cumque diuitias  
illis & honores offert, ruinam illorum  
molitur & interitum. Quapropter bene  
apud Matthæum duobus Apostolis ad ho-  
sors



nores aspirantibus ait Christus, *Nescitis quid petatis*: & vere, nesciunt enim quid petant, qui diuitias petunt.

Psalmistes de diuitibus diuitiarumque appetitu loquens, cum dixisset: *Et relinquent alienis diuitias suas & sepulera eorum domus illorum in aeternum*, quamprimum subnectit. *Hæc via illorum scandalum*, id est, Via & semita per quas diuites & mundani ambulat, scandalis, curis, impedimentis, difficultatibus, inquietudinibus obstita sunt, unde bene sententia Chrysostomus in hunc locum, *Qua est via illa videamus*, ait, de qua loquitur hic Propheta; *sane est illud studium & diligentia, quam ponunt mundani in sequenda sua voluntate, insana illa cupiditas habendi bona, & insatiabilis sitis honoris mundi, quod totum non est paruum impedimentum ad virtutem operandum*. Optime igitur cum nostra parabola coincidit, in qua re ipsa videmus, ob villas & negotia inuitatos impediri, quominus ad regias nuptias ingrediantur. *Et abierunt alius in villam suam, & alius in negotiationem suam*.

De terræ metallis loquens Iob ait, eadem gigantes esse, qui sub aquis & fluuiis assidue ingemiscant. *Ibi gigantes sub aquis*. Per gemitum autem auri, argenti & gemmarum, violentiam & crudelitatem intelligit, hominum, qua in aurum grassantur & furunt; gigantes autem esse ait, vel quod sese defendat, vel quod terreat & exagitet eos qui ipsi terra educere, & arcis includere satagunt.

Quoniam vero gigantum incidit mentio, in Numeris legimus, exploratores illos missos in terram Chanaan, & terræ fecunditatis specimen ostendentes, contubernales suos terrendo dixisse, se monstra gigantea & collosæ staturæ, viderisse, *Terra quam lustrauimus, deorat habitatores suos; populus quem aspeximus proceræ staturæ est; ibi vidimus monstra quadam filiorum. Enac de genere giganteo, quibus comparat: quasi locusta videbamur*. Fructus terræ mundi huius diuitiæ sunt & honores, sed iisdem ut potiamur cum pluribus gigantibus, id est difficultatibus, opus est ut configamus. Terra diuitiarum, terra est quæ deorat habitatores suos, & animi

& mentem arrodit possidentium. Diuitiæ denique filiarum prodigæ mundi huius sunt, quæ animas in perniciem trahunt & impediunt, quo minus ad æternæ beatitudinis nuptias pertingant.

Iacob postquam cum fratre Esau in gratiam rediisset, & frater illi dixisset: *Gratiamur simul, eroque socius itineris tui*, mox respondit quam benignissime: *Noli Domine mihi, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fueras mecum, quasi si in laborando fecero laborare, morientur una die cum fili greges: præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius*. Allegoria hæc nos docet non posse illos qui diuitis & dignitatibus operari sunt, Christum sequi, aut lento saltem passu, ut coniugari faciunt, qui paruulos & vxores prægnantes secum ducunt. Annon videtis, ut qui villis abundantant, & negotiis opprimuntur, ad nuptias intrare nequeant? *Quam obrem princeps iratus, seruis ait: Ite in exitus viarum, & quoscumque inueneritis, uocate ad nuptias*.

Quid hoc est. *ite in exitus viarum*, an non melius dixisset, *Ite in plateas*, per vrbes vicos, per fora & palatia Principum, in quibus locis magnus esse solet hominum cõkursus, quam *ite in exitus viarum*? Non profecto, nam in omnibus illis locis peccatores variorum occasione vitiorum nimis distenti sunt, nec ad nuptias illas diuinas parati sunt. Cum igitur Deus concionatoribus suis ait: *ite in exitus viarum*, insinuare vult, mortem ac nouissima esse prædicanda: quasi diceret, *Ite auditoribus vestris diceris, Cogitate viti, illa quæ tantopere consecretamini tandem aliquando finem habitura, cogitate, inquam, esse vobis aliquando moriendum, adhæc perpendite, voluptatum finem supplicium æternum esse; gulæ & ingluuici, morbos & innaletudines; peccati mortalis vero, tartarum & gehennam; mundanarum denique deliciarum pœnas sempiternas*.

Babylonis superbiam coarguens Esaias; tunc præsertim cum Persæ & Medi sanguine vicos & plateas illius repleverint dixit, non *Esai. 7.* *posuisti hæc super cor tuum, nec recordata es nouissimi tui*. Quibus verbis innuit Propheta, quot

VII.



quot mala, damna, calamitatesque infelix hæcce vrbs incurrit, quod mortis esset obli-  
lita. Idem spectabat Ieremias, cum Ieroso-  
lymitanam calamitatem deplorans gemit;  
*In Threnis. Sorâs eius in pedibus eius, & non est recordata  
fina eius.* Ite igitur cœli nuntii, verbi diuini  
tubæ, concionatores feruidi, in exitus via-  
rum, mortem & iudicium annuntiate, quan-  
tus sit tartari horror, quanta vero è contra  
cœli gloria, docete; illa scilicet nouissima  
& exitus vitæ sunt, *& quoscung, inueneritis,  
vocate ad nuptias.*

Videte igitur vt Iesu Christi fama per vr-  
bem vniuersam spargatur, videte vt odor no-  
miais ac meritorum Messia per omnes terræ  
angulos diffundatur. Locum igitur hic hæ-  
bet oraculum, & prognosticon illud sponsi  
dicentis: *Oleum effusum nomen tuum.* Atque  
id ita fieri etiam voluit Christus dicens: *Præ-  
dicante Euangelium omni creatura.* Eodem et-  
iam respexit sponsus in Canticis, quando di-  
lectam de Libano & cauernis pardorum vo-  
cat: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano,  
de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

*Cant. 1.*

*Cant. 4.*

*Lib. 4 con-  
tra Marc.*

Quem locum Tertullianus allegorice de  
noua Ecclesia, in diuersis mundi climatibus,  
& è diuersis populis congregata interpreta-  
tur, cui subscribunt omnes propemodum  
Græci Patres, Gregorius Nyssenus, Theo-  
doretus, Psellus, & alii plures, qui per cu-  
bilia leonum & montes pardorum potentes  
reges instar leonum sæuientes, ferocientes,  
superbos atque variis peccatorum maculis  
instar pardi maculatos, intelligunt.

Ecclesia  
bonos si-  
mul & ma-  
los com-  
prehendit.

*Et quoscung inueneritis, vocate ad nu-  
ptias.* Omnes ad Ecclesiam inuitate, illa nam-  
que peccatores simul & iustos comprehen-  
dit; est enim ager ille Euangelicus, in quo  
zizania simul cum tritico; est arca Noe, in  
qua columbæ permixtæ coruis; est grex Ia-  
cob, in quo oves tam nigra quam albæ; est  
arca patrisfamilias, in qua palea simul & gra-  
num; est sagena ac rete Petri in mare mundi  
huius coniectum, quod bonos simul & ma-  
los pisces concludit.

Ceterum, Auditores, interea dum de ser-  
uis & nuntiis ad nuptias regias quoslibet vo-  
cantibus loquentem auditis, persuadete vo-

bis me vnum ex iis esse, & hodie me, cœli-  
tus mandato accepto, ad vos destinatum,  
vt ad æternæ beatitudinis nuptias vos inui-  
tem: omnes igitur ad eandem properate, quâ  
potestis diligentissime currite, mundi nolite  
occupationes præterere, villas & nego-  
tia tantæ rei tamque prægnanti nolite præ-  
ponere; ne patiâmini, obsecro, vt vobis ve-  
nire detrectantibus, ad exitus viarum nun-  
tios suos Deus mittat, id est, vltimos orbis  
terminos, ad populos incognitos, barbaros  
& incultos, quo Indos, Iapones, Chinen-  
ses, Brasilios & Peruanos ad nuptias hæc in-  
uient. *Quamobrem ad illas vos hodie inui-  
to, accurrite, properate, omnia siquidem  
parata sunt, cœlum patet, venia oblata, Sa-  
cramenta concessa, gratia vos manet, Iesu  
Christi merita vobis communicantur, tot  
indulgentiæ conceduntur, nihil omnino de-  
est, venite igitur ad nuptias.*

Tu vero magne & omnipotens **D E V S,**  
magnifice princeps, qui olim magnas illas  
nuptias filio tuo instituisti, quando nimi-  
rum nostri redimendi ergo, humanæ illum  
naturæ desponsasti, felices nuptiæ, & con-  
iugium felix, è quo magna nobis & infini-  
ta emolumenta accesserunt, gratiam præsta  
vt inuitationes tuas audiamus, non vero  
negligamus. Cum vero semper, tum per  
Prophetas, tum per Apostolos, in vtroque  
testamento, modo per veteres Patres, mo-  
do per Doctores præsentis temporis, & ver-  
bi tui præcones, alias per Angelos, inter-  
dum per secretas inspirationes, nos vocês;  
fac, obsecro, vt vocationibus tuis cœlestibus  
respondeamus, neve imitemur hosce inui-  
tos, vt cœlo relicto terrena amplectamur, te  
neglecto mundum sequamur. Nunquam  
hoc nobis accidat, sed villas & negotia con-  
temnendo, ad primam vocationis vocem  
surgamus, & ad iter accingamur, ad æternæ  
beatitudinis nuptias ituri, ad quas nos

deducant Pater & Filius &  
Spiritus Sanctus.

Amen.